



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Sphingi comparatur lasciva mulier.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Ethica.

I. Variæ de Sphinge sunt explicationes, mihi placent tres potissimum. *Prima*, Sphingis monstrum templis Ægyptiorum præfigi solitum indicabat, sacra mysteria obscura esse, arcanaque. Ob quam causam Augustus Imp. litteras suas obsignare Sphingis imagine solebat. *Secunda* est Ricciardi, Sphingis ænigma ad mysterium S. S. Trinitatis, referentis. Lapis pingebatur quadratus, *immobilis, immutabilisque Divinitatis* argumentum; huic rotundus innixus Orbis, *æternitatis signum*: triangularem pyramidem sustinebat, tanquam *Dei triumviri* imago; hanc tres Sphinges fulciebant, ut Deum ex quo, in quo & per quem sunt omnia, velut ænigma omnium subtilissimum proponerent. Sed hoc est abstrusius, & Poëtarum ingenio sublimius ac sacratius.

(a) *Tertia* expositio aptissima, quæ per Sphingem lascivæ mulieris, illecebræ captiosæ intelliguntur, uti exponit Cornelius à Lapide in illa verba Prov. 7. *Iretivit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum pertraxit illum.* Quæ verba sapiens de meretriciis illicitis usurpat. Nam sicut Sphinx erat monstrum Thebanum, ex variis animalibus commistum, ac confictum; sic lascivus amor ex variis tum *amati* ideis, tum *amantis* imaginationibus conflatur & confingitur. Sphinx enim vultu & manibus similis erat *puella* speciosæ, corpore *cani*, alis *avi*, unguibus *leoni*, cauda *draconi*, voce *homini*, quæ prætereuntes difficilibus & inextricabilibus quæstionibus remorari ferebatur. De qua Aufonius:

----- volucris, leo, virgo, triformis

Sphinx; volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Sic mulier illecebrosa habet vultum speciosum puellæ, sed corpore procax est, impudens, & luxuriosa, instar *canis*: alas habet *avis*, quia fora & compita ad cœtus juvenum non tam currit, quàm volat: unguibus *leonis*, quia amatos suos lacerat: caudam *draconis*, quia eosdem in fine implectit, perdit, occidit, devorat ut draco: opes aufert, pudorem, honestatem, famam, vitam, si non corporis, certè animæ. Hinc Sphinx dicta ab effectu, quod homines suis verbis & quæstionibus ita stringat, ut se expedire non possint, nam *εφίγγειν* est *constringere* vel *vincire*. Experitur id, quisquis turpi amore implicatur. Hæc Cornelius.

I I. (b) Quid sit mens conscientiæ malæ stimulis agitata, in Oreste ostendimus; & iterum in Oedipo docemus, qui quòd patrem occiderit,

(a) Sphingi comparatur lasciva & illecebrosa mulier. (b) Conscientia mala.